



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Confessionis Avgvstinianae, Et Avgvstanae**

**Hänlin, Georg**

**Friburgi Helvetiorum, 1592**


**VD16 H 131**

Articvlvs 19 De Causa peccati

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29407**

*bere voluntatem humanam aliquam libertatem, ad efficiendam civilem Iustitiam, & deligendas res rationi subiectas; non apparet, cur hoc Secundum negent, illud verò statuant, siquidem unum & idem prorsus sint.*

Vndè intelligitur, Pappum, & omnes Lutheranos nescire, quid Scholæ nomen substantiam actuum; cum rem his verbis traditam negent, alijs ipsam confiteantur. Sed relegat Pappus in gratiam nostri, si libet & vacat, à se adscripta Testimonia, & significet nobis, quibus verbis Augustinus neget, posse nos facere præcepta Dei ex viribus nature, quoad substantiam actuum: aut si id non potest, fateatur se Augustino vim facere.



## ARTICVLVS XIX.

## DE CAUSA PECCATI.

**S**Anus est, Catholicus & Augustinianus. At, quid Pappus Luthero suo respōdet, qui expressè in Assertione articulorum damnatorum à Leone X. Pontif. artic. 36. scribit, *Liberum arbitriū esse rem de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccare mortaliter: Item Deum mala opera in impijs operari: Item, Hominem nulla opera in manu sua habere: Item, non esse hominem in manu sua, etiam mala operantem & cogitantem, quia Deus operetur omnia in omnibus: Item, Liberum arbitrium esse figmentum in rebus, vel titulum sine re, quia nulli homini sit in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni; sed omnia evenire de absoluta necessitate. Quid Philippo? probante Luthero, necessariò omnia evenire in omnibus creaturis: Deum propriè omnia agere in creaturis, ut proprium opus Dei sit Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio: neg. id permissivè, sed potenter, Deum mala etiam facere: nullam esse contingentiam, sed necessitatem quandam, juxta destinationem Dei. Quid ad alia multò plura? quæ ad hunc, & præcedentem Articulum pertinent; an & in his Augustinus Lutheranus est?*